



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

24. Qualiter cognouerit gratiam Dei secum comitari, & de consensu populi,  
vt Christianitas apud eos haberetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

semetipsum in conspectu Dei humilians,

CAPVT XXIV.

*Qualiter cognouerit gratiam Dei secum comitari,  
& de consensu populi, vt Christianitas apud  
eos haberetur.*

**V**erum ipso inter has pressurarum angustias posito, cum dies Placiti appropinquaret, quadam die inter sacra Missarum solemnina, dum Sacerdos altari astans Mysteria sacra benediceret, illi in terram prostrato, celestis effusa est inspiratio. Siquidem Spiritus Sancti dono interiori roboratus, & fiducia maximam in animo confortatus, cognouit sibi prouentura omnia uti vellet. Vnde eidem Sacerdoti sibi in omnibus familiarissimo post Missam denunciauit, Nihil trepidationis se habere debere, quia secum gratia Dei comitaretur. Quam mentis eius illustrationem, Frater ille satis recognouit; quia taliter eum diuinitus consolari, multis antea probauit indicijs. Hanc ergo animi eius fiduciam statim rei confirmauit euentus. Nam Rex congregatis primo Principibus suis, de hac patris nostri Legatione cum eis tractare coepit. Qui sortibus quaerendum statuerunt, quae super hoc Deorum esset voluntas. Exeuntes igitur more ipsorum in campum miserunt sortes: ceciditque sors, quod Dei voluntate religio Christianorum ibi fundaretur. Quod factum vnus ex Primoribus, amicus Domini Episcopi, statim ei

*Sors pro S:  
Ansgario.*



tim ei innotuit, & vt consolaretur amico am-  
monuit, dicens: confortare, viriliter age, quia  
Dominus voluntati & Legationi tuæ non ab-  
nuit. Sicque ipse fiducia sumtâ, spiritu inte-  
riori letificatus, exultabat in Domino. Deinde  
cum dies Placiti aduenisset, quod in prædicto  
vico Birca habitum est; sicut ipsorum consue-  
tudo est, præconis voce Rex, quæ eorum esset  
Legatio, intimari fecit populo. Quo illi audi-  
to, sicut erant antea errore confusi, diuersa  
sentire, & tumultuare cœperunt. Quibus ita  
perstreptentibus, consurgens vnus qui erat se-  
nior natu, in medio plebis dixit: Audite me,  
Rex & populi. De culturâ istius Dei pluribus  
nostrum iam bene est cognitum, quod in se-  
sperantibus magnum possit præstare subsidiû.  
Nam multi nostrum iam sæpius, & in marinis  
periculis, & in varijs necessitatibus, hoc pro-  
bauerunt. Quare ergo abijcimus, quod neces-  
sarium nobis & vtile scimus? Aliquando qui-  
dam ex nobis Dorstadium adeuntes, huius  
religionis normam spontaneâ voluntate susci-  
piebant. Quod ergo tam longè positum prius  
solicite quærebat, propter insidias pira-  
tarum, hoc nobis modò oblatum quare non  
suscipimus? Et quia eius Dei gratiam nobis in  
multis vtilem probauimus, quare Seruos eius  
nobiscum manere non libenter assentimus?  
Hoc ergo perorante, omnis multitudo populi  
vnanimis effecta, elegit vt secum Dei Sacer-  
dotes essent, & ministeria Christi apud eos fie-  
rent.